



108

ipse mihi pepercit. Constituto autem vicario recepit Tanguardinus licentiam a nobis et ad propria reversus est cum suis; nos autem ad proximas coquinas Sarracenorum currimus et cibos emimus et coenam in navi fecimus. Facta est autem obscura nox antequam recederemus a portu. Sedimus ergo in navi cum laetitia pro eo, quod salvis cutibus de illo excoriatore evasimus, licet alleviatis marsupiiis.

#### Recessus.

Vicesima die, in nocte praecedenti, nave soluta a portu Nili Cairino recessimus, ventum autem contrarium habuimus ita, quod quatuor nautae nostri Mauri remis navem trahere necesse erat. Porro multae naves aromaticis speciebus nos sequebantur et multae praebant et aequo diffortunio sicut et nos contra ventum conabantur, sed tarda erat navigatio nostra et taediosa, navium vero de mari ascendentium contra aquam erat e contrario velocissimus cursus et quasi volabant ductu velorum (b) pariter et equorum. Nam sicut per Rhenum sursum trahunt naves a Colonia equis, sic de mari Alexandrino per Nilum sursum trahuntur in Babylo-niam. Porro ab utraque parte fluminis delectabilem et fertilem habuimus terram cum multis villulis. Sunt autem domus villularum omnes sicut clibani testudinati luto Nili, quod tenax est et aptum ad aedificia rusticorum. Aestimabam primo, quod omnes domus essent parvae moscheae, quia pulchrae opere camerato sunt factae. Juxta villas erant amoenissimi horti, agri, viridaria, pomaria, in quibus canamelli, dactyli et quaeque dulcia crescebant. Verum haec amoenitas non erat undique, sed solum in locis, qui Nili aquis irrigari poterant, caetera enim loca irrigua erant arida, arenosa, sterilia, sicut desertum. Lento autem gradu processimus illa tota die, nec extra emissi fuimus, ea autem, quae in Cairo emeramus, manducavimus et de aqua sacri fluminis bibimus, quae tamen erat turbida et tepida, defecerat enim vinum de utribus et cum Sarracenis aquam bibere studuimus; sine timore tamen alicujus infectionis de aqua fluminis bibimus scientes, eam ex paradiso sanissimo profluere. Sic ergo diem illum cum taedio deduximus, quia lente descendimus et somnolentos nautas habuimus,

119

117

123

113

128

108

168

068

218

018

Ende

Anfang